# De septima quae fertur Platonis epistula

by

Gustavus Rohrer

# DE
# SEPTIMA QUAE FERTUR PLATONIS EPISTULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

OBTINENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

GUSTAVUS ROHRER.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

Quicunque ad quaestionem de Platonis quae feruntur epistulis tractandam propius accesserit, a septima epistula, quam quidem et magnitudine et argumento inter omnes tredecim maximi esse momenti constat, initium quaerendi faciat necesse erit. Novissimam de hac re disputationem habemus Karstenii librum, qui inscribitur „commentatio critica de Platonis quae feruntur epistolis, praecipue tertia, septima et octava,“ Traiecti ad Rhenum 1864. Quoniam in hoc libro et criticorum de epistularum fide opiniones (pg. 1—10) et antiquorum grammaticorum testimonia (pg. 11—28) satis copiose commemorata sunt, pauca restant, quae auctore Sauppio (Göttingische gelehrte Anzeigen 1866, 1 Bd. pg. 881 sqq.) de testimoniis addam. In doctissimorum enim virorum numero, qui epistulas vel omnes vel certe septimam Platoni tribuunt, gravissimos videmus auctores Bentleium, Groteum, Boeckhium, Cobetum, Baiterum, qui Aristophanis Byzantii Thrasyllique auctoritate adiuti eas satis certo testimonio confirmatas esse censent. Nimirum in trilogiarum istarum quinta, in quas Platonis dialogos digessit, posuisse videtur Aristophanes epistulas, cf. Diog. Laërt. III, § 61: ἔνιοι δέ, ὧν ἐστι καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικός, εἰς τριλογίας ἕλκουσι τοὺς διαλόγους· καὶ πρώτην μὲν τιθέασιν, ἧς ἡγεῖται Πολιτεία—, πέμπτην Κρίτων, Φαίδων, Ἐπιστολαί. Quoniam vero Aristophanes centum et quinquaginta annis post Platonem mortuum (circiter anno 200 a. Chr. n.) bibliothecae Alexandrinae praefuit, iure Sauppius hoc testimonio parum confirmari arbitratur, praesertim cum eo tempore, bibliothecis illis Alexandriae, Pergami institutis, falsariorum fraude permulta scripta alieno nomine edita fuisse constet. cf. Ueberweg, Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge Platonischer Schriften, Wien

1861, pg. 188—190. Neque vero cum Groteo per Academicorum usque ad Aristophanis tempora continuatam familiam Platonis libros sincere conservatos esse credimus, cum ab eodem Aristophane in tertia dialogorum trilogia Epinomis enumeretur, quam a Philippo Opuntio conscriptam esse iam antiqui grammatici putarunt. cf. Diog. Laërt. III, § 37. Idem de Aristophanis testimonio censet Ueberweg l. c. pg. 190. Quaestio igitur de epistulis, cum testes parum valeant, rationibus ex ipsis petitis diiudicanda est. Videtur autem et Salomonis dissertatione „de Platonis quae vulgo feruntur epistolis“ (in programm. gymnas. Berol. 1835) et Karstenii commentatione supra laudata, cum a Salomone imprimis res ad historiam spectantes, quae in epistula memorantur, disputatae sint, a Karstenio praeterea argumenti, orationis, sententiarum condicio, ita demonstratum esse, epistulam septimam esse spuriam, ut pauca restent. Attamen per totam epistulam, id quod in praecipuis locis a Karstenio factum est, argumentum, dictio, sententiae accurate examinanda et explicanda sunt.

Septima igitur epistula ad Dionis propinquos et familiares, qui Syracusis erant, scripta esse videtur brevi post mortem Dionis, cf. ep. VII, pg. 334 A—C. pg. 336 B: νῦν δὲ ἤ πού τις δαίμων... πάντα τὸ δεύτερον ἀνέτρεψέ τε καὶ ἀπώλεσε. Dion autem interfectus est anno 353 a. Chr. n. cf. Clinton, fasti Hellenici, tom. II, pg. 142. Plato decessit prima parte dimidia anni 347 a. Chr. n., cf. Ueberweg, l. c. pg. 113. Itaque epistula cum intra Dionis et Platonis mortem tum certe brevi post Dionis decessum, anno igitur 353 s. 352 scripta esse fingitur.

Dione enim interfecto, cum Callippus Atheniensis Syracusis rerum potitus esset, respublica civilibus discordiis turbata est, aliis Callippo faventibus, aliis contra tyrannidem contendentibus. Perturbatio rerum aucta est, cum expulsus Dionysius eiusque frater Hipparinus urbem expugnare et dominationem occupare conarentur.*) In tantis reipublicae angustiis Dionis propinqui et familiares ad Platonem scripsisse feruntur, se cum Dionis consiliis insisterent Platonem rogare, ut se ἔργῳ καὶ

---

*) Quod legimus apud Karstenium pg. 30: „Dionysius tyrannus... et Dionis frater Hipparinus“ typothetae errorem esse arbitremur; utique scribendum fuit „et Dionysii frater Hipparinus.“

λόγῳ (pg. 323 D) in republica restituenda adiuvaret. Ad haec nostra epistula respondetur, sed ita quidem, ut hominem garrulum, omnia temere confundentem, non summum Graecorum philosophum te audire putes. Quapropter primum argumentum epistulae in conspectu ponimus.

## Argumentum epistulae.

Adiuvabo vos, inquit, si eadem, quae Dion, agitis; cuius quae fuerit sententia explicabo: Cum Syracusas primum venissem, Dion adulescens (sc. viginti annorum, 389 a. Chr. n.) censuit, Syracusas et liberas esse et legibus optimis gubernari oportere. Quomodo haec sententia in eo sit orta, est dignum auditu. Orditur nunc Plato a iuventute sua: Se primum ad rempublicam accessurum fuisse; cum vero triginta tyrannorum, qui vocantur, iniustum imperium vidisset, a republica administranda se abhorruisse. Eiectis triginta, cum rursus reipublicae capessendae cupidus fuisset, gravissimis poenis, quas inimici dedissent, praecipue vero Socratis iniusta damnatione ab hoc consilio se deterritum esse. Quo magis aetate progrederetur, eo magis se intellexisse, rempublicam non posse recte gubernari, nisi cum fidelibus amicis. Athenis vero quamquam leges moresque corrupta essent, tamen se non desiisse, opportunum agendi tempus exspectare. Tandem hoc sibi persuasum fuisse, omnes civitates male gubernari, nec prius civitatibus salutem fore, quam aut philosophi principatum obtinerent aut principes essent philosophi (pg. 326 B).

Hac mente, inquit, in Italiam et Siciliam primo se pervenisse, civitates vero luxuria ita corruptas se invenisse, ut ad iustam felicemque gubernationem pervenire non possent. Syracusas vero cum forte pervenisset (anno 389 a. Chr. n.), iam tum deum aliquem initium eorum, quae nuper Dioni Syracusisque accidissent, posuisse videri.

Cum enim de optimis honestissimisque vitae rebus cum Dione adulescente disseruisset, nescium se tyrannidis ruinam tum paravisse putare. Nam Dionem cum philosophiae decreta celeriter accepisset, a luxuria ceterorum se abstinuisse, virtutem voluptatibus anteponentem. (Abiit Plato). Dionysio vero

maiore mortuo (a. 367 a. Chr. n. Clinton) speravisse Dionem, fore ut Dionysium minorem eodem animo atque philosophiae amore imbueret. Itaque eum Dionysio suasisse, ut Platonem vocaret, ipsumque rogavisse Platonem, ut quam celerrime veniret, priusquam alii Dionysium tunc philosophiae cupidum ad alia deflecterent; eosdem facile fore et philosophos et civitatum principes. Tandem precibus obsecutum, iterum se domo Syracusas profectum esse (a. 367 s. 366, cf. Ueberweg l. c. pg. 129), sperantem, fore ut quae de legibus, de republica excogitavisset, Dionysii opera perficeret. Syracusas autem cum advenisset, omnia discordiis et seditionibus plena se invenisse: a Dionysio Dionem quarto mense in exsilium missum esse. Se ipsum cum calumniatorum artificio tyranno in suspicionem venisset, a Dionysio in arce magis ut captivum quam ut hospitem retentum esse. Hoc fuisse alterum iter in Siciliam susceptum. Postea Dionysii rogatu tertium Syracusas iter se fecisse; cuius quae fuerint causae infra se explicaturum esse dicit, postquam, quid faciendum sit, amicis Syracusanis suaserit (pg. 330 C).

Suadet igitur illis hoc modo: Quicunque homini aegroto consilium impertiat, si ille praeceptis oboediat, desinat vero suadere, si aegrotus non pareat, eum esse et virum et medicum; qui perseveret suadere ei, qui oboedire nolit, eum esse ignavum et artis expertem. Itaque se consilium non dare, nisi iis, qui consilio obsecuturi esse videantur; quicunque consilium non postulent aut non videantur consilio obsecuturi, iis se non suadere. Vim vero nemini, ne filio quidem, esse adhibendam, ut consilium sequatur. Servum quidem cogere licere; patrem vero vel matrem cogere nefas esse, nisi mente alienatos. Sin parentes ea ratione vivant, quae filio non placeat, nec iis resistendo invisum se reddere, nec blandiendo eorum cupiditatibus suppeditare quae cupiant licere. Itemque civitatis errores non reprehendendos esse, nisi quid reprehensione proficiatur, neque periculosa sit reprehensio. Vim autem patriae nunquam esse adhibendam. Hoc igitur, inquit, est consilium, quo vos adiuvo: Suadebam similiter Dionysio (anno 367 s. 366), ut ita viveret, ut teneret semper potestatem sui et fidos amicos sibi pararet, ne ipsi accideret, quod Dionysio maiori patri, cui fidi socii defuissent. Septies igitur infelicior ille fuit Dario, qui, toto regno

in septem partes diviso, fidos socios singulis praefecit. Iam vero Athenienses per septuaginta annos tot urbes non ab ipsis conditas, sed barbaris ereptas in potestate sua tenuerunt, quia amicos in illis sibi conciliaverant. Dionysius autem, tota fere Sicilia in unam urbem congregata, vix servatus est, quod amicis carebat. Haec igitur Dionysio (minori) suasimus ego et Dion, ut amicos sibi compararet ex aequalibus, qui de virtute cum ipso consentirent. Iam vero docuimus, eum si prudenter se gereret, devastatas Siciliae urbes restituturum esse atque, Carthaginiensibus repulsis, non solum patre, sed etiam Gelone potentiorem fore, cui Carthaginienses subiecti fuissent. Haec cum Dionysio suaderemus, tamen ille, calumniatores audiens, Dionem expulit, quod tyrannidem peteret. (Tertium Platonis iter in Siciliam interea factum a. 361 epistolographus hic omittit.) Dion autem ex Peloponneso reversus (a. 356 Clinton), cum, Dionysio expulso, rempublicam liberasset, idem a civibus passus est, quod antea a Dionysio. Nam cum Dionysium regno dignum redditurus esset, ipsi tyranno suspectus fuit. Itemque postea calumniatorum artificio civibus in suspicionem venit. Quomodo id factum sit, eos, qui me consuluerint, audire necesse est: Athenis veneram Syracusas (a. 361), ut Dionysium cum Dione reconciliarem. Neque ille pecunia neque honoribus me commovit, ut ipsi amicus, Dioni inimicus fierem. (Abiit rursus Plato). Postea Dion, reversus Syracusas, duos fratres Athenienses secum duxit. Qui cum Dionis amicos se gererent, cognita civium in Dionem invidia, eum interfecerunt (a. 353 Clinton). Quamquam tanto in scelere nihil excusare possum, tamen eum quoque profiteor Atheniensem fuisse, qui (sc. Plato) neque divitiis neque honoribus commoveri potuerit, ut Dionem proderet. Haec omnia dicta sunt propter consilium, quod me Dionis amici rogaverunt (pg. 334 C).

Praeterea vobis suadeo, ne Siciliam hominibus, sed legibus subiciatis. Hominum enim dominatio nec ipsis imperantibus nec subiectis prodest; atque vilis est animi, ex dominatione lucrum quaerere. Itaque mihi obsequamini, obtestor vos per Iovem tertium servatorem. Nam Dionysius, mea consilia non secutus, nunc inhonestam vitam degit; Dion autem, mihi obsecutus, honestam mortem occubuit. Sunt quidem, qui neminem nostrum immortalem esse contendant; at credendum est sane

veteribus et sacris illis dictis, animum et esse immortalem et in iudicium vocari et summa iniuriae supplicia post mortem pati. Quare melius est, iniuriam pati, quam inferre aliis. Haec Dioni quoque et dixi et persuasi; quamobrem eius percussoribus aeque irascor ac Dionysio, cum et mihi et omnibus hominibus maxime nocuerint. Nam illi eum interfecerunt, qui iustitia uti voluit; hic iustitia uti noluit, quamquam, si vere philosophia imbutus esset, omnibus hominibus declarasset, neque hominem neque civitatem esse felicem, nisi cum prudentia iustitiaque viveret. Quamobrem Dionysius et mihi et omnibus hominibus nocuit; itemque Dionis percussor, quamquam nescius. Nam Dionem certo scio, si imperium obtinuisset, patria a servitute liberata, optimis legibus rempublicam constituturum fuisse. Quae si essent facta per virum iustum et philosophum, eadem virtutis gloria apud omnes floruisset, quae, si Dionysius nobis esset obsecutus, viguisset. Sed nunc daemon aliquis sive nefarius homo omnia haec pervertit et ad irritum redegit. Nunc tertii vestri conatus utinam feliciores sint! Suadeo igitur vobis, ut Dionem imitemini et in vitae cultu et in amore patriae. Quo ille fuisset animo, iam a me audistis. Qui Dorica temperantia nequeat vivere, eum ne recipiatis neve ei confidatis; ceteros vero omnes adhortari debetis, ut Siciliae urbes et aequas leges restituant. At hae in posterum curae erunt, seditiones autem et cotidiana discidia urgent. Neque vero seditionum neque caedium prius finem fore constat, quam victores leges omnibus et communes et aequas tulerint. Aliud nullum remedium exstat civitati seditionibus laboranti. Victores vero ex ipsis eligere optimos necesse est, ac primum quidem senes; civitati decem milium virorum quinquaginta satis erunt, qui leges constituant et victoribus et victis aequas. Haec equidem et Dion Syracusis egimus (pg. 337 E).

Consilium igitur datum est, et qua ratione prius ad Dionysium iter factum esset, explicatum est. Cui libet de altero itinere audire, iam audiat. Cum antea Syracusis versarer, cum Dionysio mihi convenerat, ut, bello composito, futurum esset, ut cum Dione arcesserer. Ac me quidem, pace facta, Dionysius arcessivit, Dionem autem annum insuper abesse iussit. Pervulgata quidem erat fama, Dionysium rursus philosophiae desiderio flagrare. Sed quamquam Dion magnopere rogavit, ut pro-

ficiscerer, tamen iter non suscepi, cum senex essem neque Dionysius fidem datam Dioni servasset. Postea Dionysium, quem Syracusis convenisse videtur, Archytas philosophiae et honoris cupiditate incendit. Dionysius igitur, epistula per Archedemum, nobilissimum Syracusanum, missa, magnopere me rogavit, ut venirem, et sese omnia Dioni concessurum esse promisit, quaecunque modice poscerem. Itaque cum et Archytas aliique Tarentini Dionysii alacrem philosophiae cupiditatem laudarent, et Athenienses amici monerent, ne Dionem desererem, tandem profectus sum (pg. 340 A). Ubi primum adveni (a. 361), statim quae esset in tyranno cupiditas philosophiae, tentare constitui. Est ratio quaedam examinandi, num quis philosophiae amore revera accensus sit. Explicandum enim est, quanto studio, quanto labore opus sit ad philosophiam complectendam. Qui haec audiens vero philosophiae studio incensus erit, viam quamvis molestam sibi ingrediendam esse ratus, universam vitam victumque cotidianum ad philosophiae studium accommodabit. Contra qui philosophiae praeceptis tantummodo extrinsecus quasi colorati sunt, ii labores et abstinentiam ad philosophiae studium necessaria cum cognoverint, maiora putant, quam quae subeant. Quae cum Dionysius percepisset, multa eaque summa se ab aliis iam didicisse contendit. Audivi etiam, eum de his, quae antea audivisset, scripsisse, quasi propria esset scientia, non ab aliis comparata. Quod quidem exploratum non habeo; alios de his rebus scripsisse scio, sed nihil illi de re ipsa perceperunt. Equidem nunquam de his rebus scripsi nec scribam, quoniam verbis non possunt exprimi, sed ex diuturno studio et consuetudine haec scientia subito effulgens quasi scintilla in animo se ipsa alit. Nefaria igitur est eorum audacia, qui talia in vulgus edere conantur.

Unicuique enim rei sunt tria, per quae scientia (ἐπιστήμη) paratur; quartum est scientia ipsa; quintum ponendum est id ipsum, quod cognosci potest (γνωστόν) et vere exsistit. Quorum unum est nomen (ὄνομα), alterum definitio sive notio (λόγος), tertium simulacrum (εἴδωλον), quartum scientia (ἐπιστήμη). Velut circuli primum est nomen, alterum definitio, ex nominibus et verbis composita: etenim quod ab extremis ad medium aeque undique distat, circuli est definitio. Tertium est pictus circulus; quartum scientia et vera circa haec opinio. Hoc totum tamquam

unum est ponendum, quod neque in vocibus neque in corporum figuris, sed in animo insit. Quorum e numero scientia maxime quinto est similis. Eadem est omnium figurarum, colorum, corporum, boni malique, affectuum ratio. Scientia quinti nequit comparari, nisi antea comparata sunt cetera quattuor, quae quidem non solum, quale quid sit, sed etiam, quid sit, docent. Quare nemo mentis compos ab ipso cogitata et quattuor illa audebit forma immutabili exprimere, cuiusmodi sunt, quae litteris notantur. Circulo enim aut picto aut torno facto multa insunt quinto contraria. Nam pictus circulus ubique aliquid recti habet; naturae vero circuli nihil recti inesse intellegimus. Praeterea nomen rei minime firmum est. Nihil enim prohibet, quominus modo recta vocata rotunda vocemus. Atque definitioni, quippe quae constet ex nominibus et verbis, eadem inest infirmitas. Maximum vero malum est, quod, nisi quattuor illa explorata sunt, omnia, quaecunque dicuntur, facile redargui possunt. Quicunque non consueverunt verum perquirere, de quattuor illis forsitan disserant, si ad disputandum apti sunt: sin illud quintum ut ostendant coguntur, facile a disceptandi peritis superantur, sic ut nihil intellegere videantur ii, qui de talibus rebus scripserint. Accuratissima demum illorum quattuor inquisitione et investigatione in animis bene constitutis scientia enascitur; at quorum animi mala indole sunt praediti, iis ne Lynceus quidem visum efficiat (pg. 344 A). Ne multa, in animo ab ipsa alieno scientia non gignitur. Quamobrem quicunque ad iustitiam aut non apti sunt natura aut apti quidem, sed hebetes, ii nunquam virtutis aut vitii summam (ἀλήθειαν ἀρετῆς ἢ κακίας) cognoscere possunt. Necesse enim est et falsum et verum universae rei (τὸ ψεῦδος ἅμα καὶ ἀληθὲς τῆς ὅλης οὐσίας) omni studio cognoscere. Quicunque diligentius his rebus gravibus studeat, eas ne invidiae neve ambiguitati exponat cavebit. Ceterum qui de rebus gravibus sive de legibus sive de aliis scripserit, si vere earum studiosus fuit, non ut gravia illa tractavit, sed summa in animo retinuit. Itaque si quid de summis et primis naturae rebus sive Dionysius sive alius scripserit, eum nihil sanum didicisse ex hac mea disputatione apparebit. Neque ea si aeque veneratus esset atque ego, in vulgus edidisset. Haec equidem illi exposui semel, non saepius, sive quod ea satis se scire putavit, sive contempsit, sive maiora

habuit, quam ad quae accederet. Si digna habuit, quae ad liberalis animi educationem adhiberentur, mirum est, quod horum ducem et auctorem (sc. Platonem!) adeo contempsit. Quo pacto contempserit, exponam (pg. 345 C):

Non multo post (sc. quam Syracusas tertio adveneram, a. 361) Dionysius fructus e patrimonio Dioni in Peloponnesum mitti vetuit, quod non Dionis essent, sed eius filii, cuius tutor ipse esset. Itaque Syracusis me remansurum esse, Dione adeo contempto, cum negarem, ille metuens, ne Dioni haec renuntiarem, dolo me retinuit, donec exeunte aestate navigatio esset intermissa. Navibus vero profectis Dionysio haec placuerunt: Dimidiam patrimonii partem esse filii, alteram ad Dionem mittendam esse; quare omnibus venditis, mihi dimidiam partem se traditurum, quam ad Dionem deferrem; reliquam pro filio se ipsum servaturum esse. Ad haec cum respondissem, Dionem antea esse interrogandum, tamen ille omnia temere vendidit, nec quidquam praeterea de Dione collocuti sumus (pg. 347 E).

Hac igitur ratione equidem neque philosophiae neque amicis defui. Interea Dionysius cum veteranorum mercenariorum stipendia minueret, seditione orta etiam maiora militibus concedere coactus est. Cum fama evulgata esset, Heraclidem fuisse seditionis auctorem, Dionysius, ut dolo illum comprehenderet, Theodotem arcessivit in hortos, ubi fortuito ambulabam. Coram me igitur Dionysio cum Theodote convenit, Heraclidi, si a Theodote adduceretur, causa cognita permissum iri, ut aut cum uxore suisque in Peloponnesum abiret, aut Syracusis maneret. Nihilominus Dionysius ad Heraclidem comprehendendum milites emisit; et quamquam libere a me vituperatus, quod promissa neglexisset, se promisisse quidquam negavit. At Heraclides in Carthaginiensium fines pervenit. Ex his inimicitiis Dionysius probabilem causam, ne Dioni pecunias mitteret, nactus esse sibi visus est. Ex arce emissum me apud Archedemum habitare iussit. Denique cum milites mihi insidiari comperissem, cum Archyta aliisque Tarentinis amicis communicavi, quo in periculo versarer. Illi per legatos Dionysium commoverunt, ut mihi, viatico dato, abire permitteret. Dionis patrimonium ille retinuit (pg. 350 B).

Cum in Peloponnesum pervenissem, Dionem ludos Olympicos spectantem inveni. Qui cum omnia percepisset, contra Dio-

nysium se bellum suscepturum esse iuravit; ipse vero me belli participem fore negavi, quia Dionysii hospitio usus essem. Bellum igitur inter Dionem et Dionysium conflatum est, quo omnia malis impleta sunt. Dion vero aeque atque ego iudicavit, potentiam non petendam esse, nisi quo maiora beneficia a potentissimo civibus impertirentur. Quo quidem animo cum Dion rempublicam constituturus esset, hominum malitia et flagitio interiit (pg. 351 E.)

Quae vobis suaderem, iam dicta sunt. Quibus causis commotus alterum in Siciliam iter (i. e. a. 361) suscepissem, explicatum est, ne cui hoc iter absurdum et contra rationem susceptum esse videretur. Quare si cui probantur causae, satis dictum est.

---

Hoc fere est epistulae argumentum, quod fusius enarravi, quo facilius sententiarum ordo et nexus cognosceretur. Plato igitur respondet Dionis amicis, qui, Dione interfecto, ipsum in reipublicae difficultatibus auxilio vocarunt. Omittamus, incredibile esse, Dionis amicos, cum in reipublicae periculis actione prompta opus esset, Syracusis Athenas ad senem Platonem tam longe et tam diu (sc. inde ab anno 361 usque ad annum 353 s. 352) amotum et Syracusanarum rerum imperitum scripsisse, ut eum consulerent, quomodo rempublicam bene constituerent: haec, inquam, missa faciamus. Quid vero respondet Plato? Quaenam consilia illis dat, qui in summis versantur angustiis? Praefatus multa de ratione, qua consilia essent danda (pg. 331 C. sqq.), multisque de altero et tertio in Siciliam facto itinere et de Dionis morte, i. e. laudibus Dionis, accusationibus Dionysii interpositis, tandem suadet illis (pg. 334 C. sqq.), ne Sicilia hominibus, sed legibus subiciatur; interpositis vero rursus accusationibus Dionysii, laudibusque Dionis suadere pergit (pg. 336 C — 337 D), ut Dionis simplicem vitae cultum et amorem patriae imitentur: imprimis leges esse ferendas iustas et victis et victoribus aequas; victores vero ex ipsis optimos eligere debere, qui rempublicam aequis legibus constituant. Haec sunt ea, quae

Plato Dionis amicis suadet. Quid, quaeso, haec illis prosunt, qui a Platone petierunt, ut sibi ἔργῳ καὶ λόγῳ auxilium ferret? Haec sunt consilia non iis, qui principatum in republica petunt, sed iis, qui eum iam obtinent. Iure interrogat Socherus (Ueber Platons Schriften. pg. 417): „Was musten die Dionischen Anhänger, wenn Platon wirklich einen Brief von dieser Länge und von diesem Inhalte an sie schrieb, sagen? „Was will der alte Mann mit seiner dicken Epistel? Wir sind Vertriebene, die mit Gewalt der Waffen ihre Vaterstadt wiederzuerobern bestrebt sind; er giebt uns, als wären wir schon im ruhigen Besitze der Macht, Ratschläge, wie wir den Staat gut einrichten sollen: uns drängt die Gegenwart; er spricht von seiner Ichheit und erzählt uns weit und breit, was er vor mehreren Jahren getan, und was uns ohnehin so ziemlich bekannt war: wir befinden uns in einem Gewirre von Parteiungen und Gewalttätigkeiten; und er erklärt uns in einer philosophischen Diatribe, dass und warum er das beste seiner Weisheit noch im Rückhalte habe!" —

Hoc est epistulae scriptori propositum, ut Dionis amicis consilia det; tamen in epistula tantae longitudinis tam pauca, quae ad hoc propositum pertineant, afferuntur, ut iure suspiceris, aliud esse epistulae propositum et totam illam occasionem fictam esse. Quae quidem suspicio ut facillime exsistit, ita vera est. Epistolographi plurimum interest, Platonem calumniis quibusdam, quae ei illatae esse videntur, liberare et causas explicare, quibus commotus itinera in Siciliam susceperit. Quod cum ex totius epistulae argumento tum ex singulis locis evidentissime elucet. Pag. 337 E. epistolographus alterius ad Dionysium minorem suscepti itineris causas explicaturus his verbis utitur: ἡ δὲ ὑστέρα πορεία τε καὶ πλοῦς ὡς εἰκότως τε ἅμα καὶ ἐμμελῶς γέγονεν, ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο. Vides, fictam epistulam non ad Dionis amicos scriptam esse, sed ad quemvis hominem, cuiuscunque eam legere interesset. Recte iudicat Ueberweg l. l. pg. 122: „der Rat, den Plato den Freunden Dios erteilt, tritt so sehr hinter die Erzählung seiner eignen sicilischen Erlebnisse zurück, und die apologetische Tendenz tritt so deutlich hervor, dass unverkennbar die Adresse: „an Dios Freunde" sich als eine absichtlich gewählte Form bekundet, welche Gelegenheit bieten sollte, eine Darlegung der historischen Wahrheit und eine Rechtfertigung Platos gegen

manche vielleicht weitverbreitete Beschuldigungen an die Oeffentlichkeit zu bringen. Die wahre Adresse verrät sich p. 330 B: τῶν ἐπανερωτώντων ἕνεκα τί δὴ βουλόμενος ἦλθον τὸ δεύτερον, ferner p. 337 E.: ᾧ μέλει ἀκούειν ἔξεστι τὸ μετὰ τοῦτο, auch schon p. 324 B: οὐκ ἀπάξιον ἀκοῦσαι νέῳ καὶ μὴ νέῳ.“ Ut alia eiusdem generis omittam, affero tantum, quae in extrema epistulae parte pg. 352 A. leguntur: ὧν δ'ἐπανέλαβον ἕνεκα τὴν εἰς Σικελίαν ἄφιξιν τὴν δευτέραν, ἀναγκαῖον εἶναι ἔδοξέ μοι ῥηθῆναι δεῖν διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν λεγομένων [Karsten, γενομένων libri]. εἰ δ' ἄρα τινὶ τὰ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα. Ex hoc quidem loco evidenter cognoscitur, epistulae scriptorem hoc sibi proposuisse, ut Platonem a calumniis defenderet, eiusque itinera in Siciliam facta probaret. Ad haec cf. quae Karstenius l. l. pg. 40 scite disputat: „Interdum de iis ad quos scribit loquitur tamquam de aliis, tertia persona, pg. 333 C: οἷον γὰρ γέγονεν, ἀκοῦσαι χρὴ τοὺς ἐμὲ παρακαλοῦντας πρὸς τὰ νῦν πράγματα. 334 C: ταῦτ' εἴρηται πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν.“

Hoc igitur nobis persuasum est, epistulam et fictam et eo consilio conscriptam esse, ut ostenderetur, quibus ex causis Plato itinera Syracusas suscepisset. Verum etiamsi hoc argumentum epistulae ponimus, tam saepe tamen epistulae scriptor ab hoc proposito ad alia, quae quomodo ad rem pertineant vix intellegas, aberrat, ut confusa hominis garruli, non summi philosophi scripta te legere putes. Cum hae digressiones, repetitiones, tautologiae tam crebrae sint, eas una cum dictione et sententiis explicabo.

## De dictione et sententiis, nec non de rebus historicis, quae in epistula memorantur.

In initio epistulae: Ἐπεστείλατέ μοι νομίζειν δεῖν τὴν διάνοιαν ὑμῶν εἶναι τὴν αὐτὴν ἥν εἶχε καὶ Δίων, aliquid pravi

inest. Karstenius l. l. pg. 42, ἐπιστέλλειν usitata vi „iubere" interpretans, δεῖν redundare censet. Si cum Ficino interpretamur: „Scripsistis mihi vos censere eandem mentem in republica esse vobis conservandam, quam Dion habuisset," δεῖν servatur, ἐπιστέλλειν vero pro „scribere" dictum est, id quod in his quidem epistulis saepius invenitur, cf. pg. 346 E: ἐὰν ἐπιστέλλῃ Δίωνι. 347 A: ἔξω μὲν Δίωνι ταῦτα ἐπιστέλλειν, ἐν οἷς τ' αὖ εἰμὶ καὶ ἃ πράττω. 347 C: καὶ ταῦτα ἐπιστέλλειν ὅ τι τάχιστα. 347 D: καὶ ταῦτα πάλιν αὐτὰ ἐπιστέλλειν. Hic usus verbi ἐπιστέλλειν apud scriptores aetate posteriores usitatus est, imprimis apud Herodianum, rarus apud Atticos. Apud Platonem vero hoc vocabulum nunquam hoc sensu legitur.

βουλεύσεσθαι πολλάκις. Cur Karstenius (pg. 42) πολλάκις 324. pro „forsitan" dictum esse putet, non liquet. Nihil enim impedit, quominus cum Marsilio Ficino interpretemur „etiam atque etiam."

σχεδὸν οὐκ εἰκάζων. σχεδόν prorsus supervacaneum et molestum est. Iure Karstenius (pg. 43) videtur suspicari, epistulae scriptorem Socraticam illam modestiam hoc loco imitari, sed inepte. Cuius vocabuli abusus in hac epistula saepe nos offendit. cf. pg. 324 E: ὃν (sc. Σωκράτῃ) ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε. 329 C: μηνὶ δὲ σχεδὸν ἴσως τετάρτῳ. 347 C: ταῦτα ξυνωμολογήσαμεν, ὡς νῦν εἴρηται σχεδόν. 350 D: οὔτ' οὖν ἡλικίαν ἔχω συμπολεμεῖν ἔτι σχεδὸν οὐδενί. 352 A: τὰ δὴ μετὰ τὰ νῦν ῥηθέντα ἃ ξυμβουλεύω, σχεδὸν εἴρηταί τέ μοι καὶ εἰρήσθω.

ἡλικίαν, ἣν τὰ νῦν Ἱππαρῖνος γέγονεν. ἡλικίαν γίγνεσθαι pro ἡλικίαν ἔχειν, aetatem aliquam habere, insolita est dictio. Quod legimus apud Aristot. Metaph. I, 5: ἐγένετο τὴν ἡλικίαν ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ, alio sensu dictum est, cum significet „erat iuvenis eo tempore, quo Pythagoras senex erat." Quominus γέγονεν a librario adscriptum esse credamus, prohibet totius epistulae dictio, quae referta est pleonasmis et inutilibus repetitionibus.

δόξαν... ἔχων, Συρακοσίους οἴεσθαι δεῖν ἐλευθέρους εἶναι. B. Praecedente vocabulo δόξαν, οἴεσθαι plane supervacaneum est. De pleonasmis a Platone adhibitis scite disputat Karstenius pg. 45.

οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ κτλ. Animadvertas, vocabulo θαυμαστόν scriptorem epistulae saepissime uti. cf. pg. 324 D: καὶ

ἐγὼ θαυμαστὸν οὐδὲν ἔπαθον ὑπὸ νεότητος. 325 B: οὐδέν τι θαυμαστὸν ἦν κτλ. 325 D: θαυμαστὸν ὅσον. 326 A: ἄνευ παρασκευῆς θαυμαστῆς τινος μετὰ τύχης. 326 C: θαυμαστῇ φύσει. 330 A: διηγγελμένον, ... ὡς Πλάτωνα Διονύσιος θαυμαστῶς ὡς ἀσπάζεται. Eodem loco: καὶ θαυμαστῶς ἐφιλονείκει πρὸς τὸ τοιοῦτον. 332 D: θαυμαστῶς ἐνδεᾶ γεγονέναι. 338 B: λόγος ἐχώρει..., ὡς Διονύσιος θαυμαστῶς φιλοσοφίας ἐν ἐπιθυμίᾳ πάλιν εἴη γεγονώς. 338 D: φιλότιμός τε θαυμαστῶς. 339 B: ἤγγελον..., ὡς θαυμαστὸν ὅσον Διονύσιος ἐπιδεδωκὼς εἴη πρὸς φιλοσοφίαν. 340 C: ὁδόν τε ἡγεῖται θαυμαστὴν ἀκηκοέναι. 345 C: πῶς ἂν μὴ θαυμαστὸς ὢν ἄνθρωπος. 348 E. τεθορυβημένῳ θαυμαστῶς. 351 D: θαυμαστὸν παθὼν οὐδέν. Eodem loco: κυβερνήτου δὲ ἀγαθοῦ πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν, εἰ πάθοι. — Huius vocabuli usus apud Platonem quoque est frequens; noster vero ut omnino rem verbis exaggerare et Platonis dictionem imitari studet, ita hoc vocabulo abutitur.

ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν εἴ τις θεῶν καὶ τοῦτον εἰς τὴν αὐτὴν δόξαν περὶ πολιτείας ἐκείνῳ γενέσθαι σύμφρονα ποιήσειε.

Magnam deorum religionem ostentat epistolographus, cum persaepe ab hominibus facta ad deorum numina referat, atque in rebus angustis deorum et fati auxilium obtestetur. cf. pg. 326 B: ἔκ τινος μοίρας θείας. 326 E: ἔοικε μὴν τότε μηχανωμένῳ τινὶ τῶν κρειττόνων ἀρχὴν βαλέσθαι τῶν νῦν γεγονότων κτλ. 327 C: ὧν καὶ Διονύσιον ἡγήσατο ἕνα γενέσθαι τάχ' ἂν ξυλλαμβανόντων θεῶν. 327 E: τίνας γὰρ καιρούς, ἔφη, μείζους περιμενοῦμεν τῶν νῦν παραγεγονότων θείᾳ τινὶ τύχῃ; 334 C: Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν. 336 B: νῦν δὲ ἤ πού τις δαίμων... πάντα ἀπώλεσε. 336 E: ᾧ καὶ βραχὺ δόξης ὀρθῆς μετέδωκε θεία τις τύχη. 337 D: τύχη δέ τις ἀνθρώπων κρείττων διεφόρησε. 337 E: τὰ δὲ νῦν ὑμεῖς πειρᾶσθε εὐτυχέστερον αὐτὰ ἀγαθῇ πρᾶξαι μοίρᾳ καὶ θείᾳ τινὶ τύχῃ. 340 A: ἐσώθην γάρ τοι πάλιν εὐτυχῶς, καὶ τούτων γε μετὰ θεὸν Διονυσίῳ χάριν εἰδέναι χρεών.

At in hac quoque religionis ostentatione epistolographus, cum Platonem imitari studeret, lapsus est. Plato enim nunquam arbitratus, cognitionem vel scientiam aliquam a diis nobis quasi ultro impertiri, immo omnem scientiam nostro labore et studio parari saepe contendit; disserendo et communi investigatione

demum verum inveniri. Longe igitur epistulae scriptor a Platonis sententia abest, si quaecunque quispiam de republica, virtute, aliis rebus cognoscat, a deo aliquo ei suppeditata esse putat. cf. Ueberweg l. l. pg. 124: „Gegen Platos Autorschaft spricht übrigens bei dem siebenten Briefe insbesondere die Weise, wie von den Göttervorstellungen Gebrauch gemacht wird. Die Erwartung, dass „irgend einer der Götter" (wie es pg. 324 B. heisst) Jemandem eine gewisse ethisch-politische Ansicht einflösse, ist kaum mit den Platonischen Grundsätzen vereinbar; denn die ethische Ueberzeugung und das daraus herfliessende ethische Verhalten stellt Plato so durchaus der menschlichen Freiheit anheim, dass er in Fällen dieser Art nicht einmal den allgemein gehaltenen Ausdruck: ὁ θεός, noch weniger aber den auf die griechische Mythologie hinweisenden: τὶς θεῶν, zu gebrauchen pflegt. Plato führt zwar den Gesammterfolg des ethischen und wissenschaftlichen Strebens auf die Gottheit zurück und verschmäht es auch nicht, in diesem Sinne die griechischen Volksgötter anzuflehen. So verfährt er im Schlussgebet im Phaedrus, p. 279, B, C, und im Eröffnungsgebet der Rede des Timaeus, Tim. pg. 27, C. Aber die religiöse Anschauung des Ethischen überhaupt involvirt noch nicht nothwendig die unmittelbare Herleitung des einzelnen ethischen Freiheitsaktes aus dem Willen der Gottheit, und die Beziehung auf die Götter und Göttinnen des Volksglaubens gibt sich immer deutlich genug entweder als ein bloss poëtisches Spiel oder als eine gesetzestreue Accommodation kund, jenes z. B. in der angeführten Stelle im Phaedrus: ὦ φίλε Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, dieses im Timaeus, wo Sokrates dem Gebete des Timaeus die Worte vorausschickt: ἐπικαλέσαντα κατὰ νόμον θεούς. Liesse sich aber auch etwa das τὶς θεῶν Ep. VII, p. 324, B, als eine Ausdrucksweise rechtfertigen, wodurch die Unsicherheit jenes Erfolges angedeutet werde, so ist doch die Aufforderung an Dios Freunde in demselben Briefe p. 334, D, Plato zu folgen Διὸς τρίτου σωτῆρος χάριν, sicherlich nicht von dem Philosophen selbst niedergeschrieben worden. Plato sollte fordern, dass seine Freunde eine Willensmeinung darum annehmen, weil er, Plato, es wünsche, also, dass sie seiner Person gehorchen, anstatt nur dem triftigsten Grunde? Derselbe Plato sollte das, der seinen Sokrates im Phaedo (p. 91, B, C) sagen lässt: wenig Rücksicht nehmend

auf den Sokrates, viel grössere aber auf die Wahrheit, stimmet mir bei, falls ich Euch etwas Wahres zu sagen scheine, anderenfalls aber widerstreitet mir auf jegliche Weise! Und nun sollte Plato gar, was jene Aufforderung Unkräftiges hat, durch Berufung auf Zeus, den τρίτος σωτήρ nach dem Sprichwort, zu verbessern suchen? Der wirkliche Plato würde ein solches Verfahren für weibisch erklärt haben."

De proverbio τὸ τρίτον τῷ Σωτῆρι cf. Stallbaum. ad Charm. pg. 167 A.

καὶ τοῦτον secundum ea, quae praecedunt, referendum est ad Ἱππαρῖνον; sic interpretatur Ficinus. Fortasse propter ea quae sequuntur: τίς δ' ἦν ὁ τρόπος τῆς γενέσεως αὐτῆς, i. e. τῆς Δίωνος δόξης, et propter sequentem longam de Platonis vita enarrationem Schlosserus (Platos Briefe, Königsberg 1795, pg. 120) καὶ τοῦτον refert ad Platonem ipsum: „Es ist also kein Wunder, dass ich, der ich in der Politik überhaupt ebenso dachte, bald mit ihm übereinstimmte," ut igitur καὶ τοῦτον dictum sit pro καὶ ἐμέ et αὐτῆς significet τῆς ἐμῆς δόξης. Hoc fieri non posse docuit Salomon: certe καὶ τόνδε scribendum fuisse, velut in Lach. pg. 180, D, et pro optativo ποιήσειε ut in re certissima indicativum efflagitari. Hoc igitur nobis persuasum est, καὶ τοῦτον indicare Hipparinum.

Cum vero duo fuerint Hipparini, alter Dionis filius, alter Dionysii minoris frater, Dionysio maiore et Aristomacha, Dionis sorore, natus, dubium est, uter hic intellegendus sit. Salomon, qui magna cum diligentia hanc quaestionem tractat, demonstravit, hoc loco Dionis filium Hipparinum, quamvis naturae consentaneum esset, filium eadem sentire ac patrem, tamen non posse intellegi, quia iam vivo patre Dione mortuus esset. Testes laudat Corn. Nep. vit. Dion. c. 4, § 3, 4. c. 6, § 2. Plut. Dion. pg. 982, C. Ael. var. hist. lib. III, c. 4. Plut. Opp. mor. consol. ad Apollon. T. II, pg. 119, A, B. Restat igitur, ut Dionysii maioris filius intellegatur, etiamsi verba illa ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν εἰ κτλ. tum prorsus inepta sunt. Utrumcunque hic intellegamus, eum annum aetatis undevicesimum vel vicesimum egisse anno 353 s. 352, quo tempore epistula scripta esse fingitur, necesse est. Nam Dion cum anno 353 a. Chr. n. mortuus quinquaginta quinque annos natus esset (cf. Nep. Dion. c. 10, extr.), primo Platonis in Siciliam adventu, i. e. anno 389, unde-

vicesimum aut cum plurimum vicesimum aetatis annum egit. Verum etiamsi Dionysii maioris filium nostro loco intellegamus, praeter illa verba ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν κτλ. aliae maiores difficultates oboriuntur. Etenim si hic Hipparinus anno 353 s. 352 undeviginti sive viginti annos natus fuit, anno 367, quo Dionysius pater vita decessit, annos sex septemve necessario natus, eiusque frater Nysaeus etiam natu minor fuit, si quidem ex eo hoc concludere licet, quod ubicunque coniuncti a veteribus rerum scriptoribus nominantur, Nysaeus semper secundo loco nominatur. Si igitur in epistulae nostrae pg. 328 A. Dion, cum Platonem, Dionysio maiore mortuo, Syracusas arcesseret, dixisse fertur, suae sororis filios, i. e. Hipparinum et Nysaeum, facile impelli posse, ut Platonis praecepta et severiorem vitae rationem sequerentur atque maxime idoneos esse, qui Dionysium ad philosophiam adhortarentur, haec minime conveniunt cum iis, quae modo de aetate eorum, si nostro loco indicati sunt, statuimus. Quis enim dicat, pueros sex septemve annorum ad philosophiam facile impelli posse et idoneos esse, qui alium ad philosophiam adhortentur? Quominus igitur Dionis filium nostro loco intellegamus, prohibent Cornelius Nepos, Plutarchus, qui eum patre vivo mortuum esse ferunt; quominus alterum Hipparinum intellegamus, prohibet nostra ipsa epistula, quae Dionysii maioris filios, Hipparinum, Nysaeum, anno 367 certe iam adulescentes fuisse indicat. Utri igitur horum testimoniorum fidem habeamus, Cornelii Nepotis et Plutarchi testimonio an epistulae? Epistulae, a Cicerone (Tusc. V, 35) expressis verbis citatae, cum iam Aristophani Byzantino notae fuisse videantur (cf. Diog. Laërt. III, §. 61), iam antiquo tempore scriptae sunt, de quo omnes consentiunt, quicunque eas a Platone abiudicandas esse censent. Karstenius l. l. pg. 241 partem saltem earum ante medium saeculum tertium a. Chr. n. exstitisse, septimam vero antiquissimam esse censet, quocum consentit Herm. Bonitzius, qui in lectionibus suis eas intra primos centum et quinquaginta annos post Platonis mortem (a. 347) conscriptas esse putat. Cum igitur adeo epistulae Cornelii Nepotis et Plutarchi testimonia superent aetate, maiorem iis fidem habendam esse censeo, quam posterioribus rerum scriptoribus. Ad eandem sententiam pervenit Ueberweg, l. l. pg. 123: „Von geringerem Gewichte ist, was Salomon gegen die Echtheit des siebenten und achten Briefes aus der Abweichung ein-

zelner Angaben derselben von den Berichten späterer Historiker folgert; denn die vorausgesetzte unbedingte Zuverlässigkeit der letzteren ist durch nichts verbürgt. Beide Briefe reden von einem Sohne Dios so, als ob derselbe nach dem Tode des Vaters noch gelebt habe; die Historiker aber kennen nur einen schon vor dem Vater verstorbenen Sohn. Ob jedoch bei denselben in Bezug auf diesen Punkt nichts Irriges enthalten sei, wird gerade durch jene Briefe zweifelhaft, die, auch wenn nicht Plato sie verfasst hat, doch jedenfalls aus einer so frühen Zeit stammen, dass ihr Zeugnis das der späteren Berichterstatter aufwiegen könnte." Nepotem igitur et Plutarchum, cum Hipparinum Dionis filium, vivo patre mortuum esse ferant, in errorem incidisse verisimile est, cum ex septimae epistulae testimonio Hipparinum patri Dioni superstitem fuisse oporteat. De Plutarchi fide dubitat etiam Groteus histor. Graec. vol. X, pg. 436, not. Hic igitur Hipparinus anno 353 s. 352 undevicesimum vel vicesimum aetatis annum egit. Alterum vero Hipparinum et Nysaeum, cum Ep. VII. pg. 328 A. Dionysio maiore mortuo ante alterum Platonis in Siciliam adventum, i. e. anno 368 s. 367, iam ad philosophiae studium idonei fuisse dicantur, eo anno iam adulescentes, itaque anno 353 s. 352, quo tempore epistula scripta esse fingitur, circiter triginta annos natos fuisse necesse est. Haec coniectura est Ueberwegii l. l. pg. 123, 124. Cum igitur in verbis καὶ τοῦτον nostro loco Hipparinum, Dionis filium, intellegamus, etiam verba illa ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν κτλ. recte dicta sunt.

Ceterum Karstenius, Salomonem in hac re secutus, ad opinionem parum probabilem pervenit: ambos enim Hipparinos aetate paene pares fuisse videri dicit (l. l. pg. 152). At Cornelius Nepos in vit. Dion. cap. 1 tradit haec: „Dionysius maior habuit in matrimonio Aristomachen, sororem Dionis; ex qua duos filios, Hipparinum et Nysaeum, procreavit; totidemque filias, nomine Sophrosynen et Areten: quarum priorem Dionysio filio, eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram Areten Dioni." Arete igitur et soror fuit Hipparini Nysaeique, filiorum Dionysii maioris, et mater alterius Hipparini, Dionis filii: iam ex hoc coniciamus, Hipparinum, Dionis filium, aetate minorem fuisse, quam Dionysii maioris filios.

σύμφρονα. Karstenius pg. 45 pro hac lectione, quam optimae

editiones C. F. Hermanni, Im. Bekkeri praebent, aliam e deterioribus codicibus ξύμφωνον eligit, cum illud σύμφρονα insolens sit. Nimirum vocabulum σύμφρων praeter hunc locum interdum tantum apud Aeschylum legitur. Verum haec apud epistulae scriptorem non est causa, cur magis usitatum ξύμφωνον melioribus codicibus confirmato σύμφρονα praeferamus; nihil enim insolentius est, quam quo noster non utatur.

εἰς αὐτὴν δόξαν.... σύμφρονα languida est tautologia, quales in epistula crebrae sunt.

νέῳ καὶ μὴ νέῳ. Inepta argutia.

ἔχει γὰρ καιρὸν τὰ νῦν. Haec evidenter ostendunt, totam causam epistulae fictam esse; recte enim ad hunc locum iudicat Ueberweg l. l. pg. 122: „Wenn in dem vorliegenden Falle ein schicklicher Anlass (καιρός) zur Darlegung der Beziehungen Platos zu Dio und dem Syrakusischen Hofe gefunden wird, so ist diese Darlegung dem Briefsteller offenbar nicht blosses Mittel, sondern Zweck."

Iam videmus, quomodo epistolographus ab aliis ad alia sine ulla necessitate transeat: Personatus Plato, cum Dionis amicis auxilium promittat, si eandem quam Dion de republica sententiam sequantur, Dionis sententiam explicaturus, mentionem de Hipparino facit, quae ad rem minime pertinet, tum a iuventute incipiens, vitae suae enarrationem longam interponit; qua in narratione tandem (pg. 327 A.) ad consuetudinem, quam cum Dione habuerit, perveniens, magis suam ipse quam Dionis sententiam explicat.

ᾠήθην,... ἐπὶ τὰ κοινὰ ἰέναι. Verbum οἴεσθαι cum infinitivo coniunctum apud Homerum saepius significat „cogitare aliquid facere", velut Il. I, 296: οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι σοι πείθεσθαι ὀΐω. Neque pedestris oratio hunc verbi οἴεσθαι usum repudiavit, quamquam rarissime invenitur, velut apud Platonem in Crit. pg. 26, D: 'Αναξαγόρου οἴει κατηγορεῖν, Anaxagoram cogitas accusare.

εἰ θᾶττον similiter dictum est atque apud Plat. Protag. pg. 325 C: ἐπειδὰν θᾶττον = ἐπειδὰν τάχιστα, quum primum; ἐὰν θᾶττον apud Xen. Cyr. III, 3, 20. Anab. VI, 3, 20.

ἑαυτοῦ κύριος, quod nostra lingua interpretaremur „selbständig", ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ (pg. 331 D, 337 A) et similia usitatae epistolographi formulae sunt.

*ἐπὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως* inanis est pleonasmus et ab Atticorum more abhorrens; nam ex communi Atticorum consuetudine in talibus formulis *τῆς πόλεως* omittitur.

*τύχαι τινὲς τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων* pro *τύχαι τινὲς* C. *τῆς πόλεως* similes sunt verborum ambages, ut pg. 324 B: *τὰ κοινὰ τῆς πόλεως*. Etiam plures eiusmodi ambages infra inveniemus, velut in pg. 326 E: *τῶν νῦν γεγονότων πραγμάτων περὶ Δίωνα κτλ.*

*τινὲς... τοιαίδε*, „fere huiusmodi." Pronomen indefinitum *τίς* saepius cum pronominibus demonstrativis coniungitur, cf. Plat. Conviv. pg. 173 E. Xen. Memor. I, 1, 1.

Ceterum hic commemorare liceat, epistolographum nostrum pronomine *τίς* magnopere delectari. Iam in proximis verbis: *εἷς καὶ πεντή κοντάτινες ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες*, cum triginta illi tyranni, aliique magistratus Atheniensi homini sane noti commemorentur, mirum sane est, quod *τινές* additum est. Neque minus mirum est, quod pg. 325 B Socratis accusatores appellantur *δυναστεύοντές τινες*. Pronominis *τίς* abusu Karstenius l. l. pg. 48 exempla affert haec: pg. 324 D: *ἔκ τινος ἀδίκου βίου*. 325 B: *οὐδέν τι θαυμαστὸν ἦν τιμωρίας ἐχθρῶν γίγνεσθαί τινῶν τισι μείζους*. eod. loco: *κατὰ δέ τινα τύχην αὖτὸν ἑταῖρον ἡμῶν Σωκράτη, τοῦτον δυναστεύοντές τινες εἰςάγουσιν*. 338 D: *τούτων τινὲς ἄλλοι παρακουσμάτων τινῶν ἔμμεστοι*.— Haec exempla etiam augenda sunt his: pg. 325 A: *ἃ δὴ πάντα καθορῶν καὶ εἴ τιν' ἄλλα τοιαῦτα οὐ σμικρά*. 325 D: *μετά τινος ῥᾳστώνης*. 326 A: *ἄνευ παρασκευῆς θαυμαστῆς τινος μετὰ τύχης*. 326 B: *ἔκ τινος μοίρας θείας*. 327 E: *πρίν τινας ἄλλους... ἐπ' ἄλλον βίον αὐτὸν τοῦ βελτίστου παρατρέψαι*. eodem loco: *θείᾳ τινὶ τύχῃ*. 328 C: *εἴ ποτέ τις τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας ἀποτελεῖν ἐγχειρήσοι*. eodem loco: *μὴ δόξαιμί ποτε ἐμαυτῷ παντάπασι λόγοις μόνον ἀτεχνῶς εἶναι τίς*. 329 B: *εἴ τι καταμαλθακισθεὶς καὶ ἀποδειλιῶν αἰσχύνης μετέσχον κακῆς*. 329 C: *περὶ δ'ἐμοῦ καὶ διῆλθε λόγος τις ἐν Συρακούσαις, ὡς τεθνεὼς εἴη*. 334 A: *καὶ τὸ μὲν αἰσχρὸν καὶ ἀνόσιον οὔτε παρίεμαι ἔγωγε οὔτε τι λέγω*. 334 C: *ξυμβουλεύω δὲ δή τι πρὸς τούτοις τὴν αὐτὴν ξυμβουλὴν καὶ λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν*. 335 A: *ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι... καὶ τίνειν τὰς μεγίστας τιμωρίας, ὅταν τις ἀπαλλαχθῇ τοῦ*

*σώματος.* 336 E: *εἰδέναι μέν που χρὴ πάντα τινὰ ἄνδρα.* eodem loco: *θεία τις τύχη.* 337 D: *τύχη δέ τις ἀνθρώπων κρείττων διεφόρησε.* 337 E: *θείᾳ τινὶ τύχῃ.* 342 A: *τάχα γὰρ ἂν περὶ ὧν λέγω σαφέστερον ἂν εἴη τι λεχθέντων αὐτῶν.* 346 A: *μηχανὴν τοῦ μεῖναι τὸν τότε ἔκπλουν μηχανᾶται τοιάνδε τινά.* 348 B: *παιῶνά τινα ἀναβοήσαντες.* eodem loco: *λόγος δή τις ταχὺ διῆλθεν ὡς κτλ.* 350 A: *μηχανῶμαι δή τινα τοιάνδε σωτηρίαν.* 350 B: *τῶν Δίωνος δὲ χρημάτων οὔτ' ἐγώ τι ἀπῄτουν οὔτε τις ἀπέδωκεν.* 350 D: *κοινός τε ὑμῖν εἰμί, ἄν ποτέ τι πρὸς ἀλλήλοις δεηθέντες φιλίας ἀγαθόν τι ποιεῖν βουληθῆτε.* — Karstenius pg. 48 recte adnotavit, etiam in Platonis libris de legibus scriptis pronomen *τίς* sexcenties per pleonasmum positum esse (id quod observavit Zeller. Platonische Studien pg. 92), nunquam autem inepte, ut saepe in epistula. Iam haec res indicat, similitudinem quandam inter nostram epistulam et inter Platonis libros de legibus scriptos intercedere; epistolographus libros de legibus conscriptos accuratius legisse videtur, nam permultas dictiones ac sententias inde mutuatus est. De qua re infra plura disputabimus.

*καὶ τῆς μεταβολῆς εἷς καὶ πεντήκοντά τινες ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες, ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ, περί τε ἀγορὰν ἑκάτεροι τούτων ὅσα τ' ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει, τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες.*

Quicunque haec legerit, statim intelleget, epistulae scriptorem, quae de Atheniensis reipublicae statu qui fuerit sub triginta tyrannorum dominatione commemoret, aut non recte cognita habere, aut certe parum accurate disputasse. Expugnatis Athenis, Lysandri arbitrio triginta viri toti reipublicae gubernandae praepositi sunt; praeterea decemviros Lysander Piraeo praefecit. Undecim autem illi, quos epistolographus commemorat, qui fuerint, incertum est. Secundum nostrum locum *τὰ ἐν ἄστει καὶ περὶ ἀγοράν* et illi decem Piraeo praefecti et hi undecim curaverunt; eo igitur munere functi sunt, quo *ἀστυνόμοι* et *ἀγορανόμοι* (cf. C. F. Hermann, Lehrbuch der griechischen Staatsaltertbümer § 150, 10—12). Cum vero a Plutarcho (Lys. c. 15) illi *δέκα ἐν Πειραιεῖ* vocentur *ἄρχοντες*, eorum potestas necessario maior fuit, quam a nostro epistulae scriptore iis tributa. Quod ad undecim illos pertinet, nihil de iis notum

est, nisi forte sunt ii undecim, qui damnatos in vincula coiciendos atque suppliciis afficiendos curabant. Num vero hic illi undecim publicae custodiae et suppliciis praepositi intellegantur incertum est. Neque igitur Karstenio assentiar, qui (pg. 119) sine ulla dubitatione dicit haec: „undecim autem, qui sub XXX viris fuisse memorantur, plane iidem sunt eodemque munere functi, quo sub democratia tam ante quam post illud tempus fungi solebant: erant magistratus qui curabant damnatos in vincula conjiciendos et supplicio afficiendos.“ Contra audias Hermannum, l.l. § 139, 14: „Was übrigens die Elfmänner betrifft, die zur Zeit der Dreiszig als Regierungsbehörde vorkommen, so sind sie von diesen (den Gefängnisvorstehern) wahrscheinlich ganz verschieden.“

Hoc autem certum est, epistolographum parum accurate rem disputasse, praesertim cum et triginta tyrannos et illos *δέκα ἐν Πειραιεῖ* et hos undecim omnes quasi in unum collegium unius et quinquaginta virorum confunderet.

*ἐν τοῖς ἄστεσι* iure Karstenius pg. 118 ut insolite dictum reprehendit. Nihil enim aliud significare potest quam „Athenis et in Piraeo;“ Attici vero rerum scriptores semper *τὸ ἄστυ* opponunt *Πειραιεῖ*.

*θαυμαστὸν ὅσον*. De vocabulo *θαυμαστόν* diximus ad p.324 B. D.

*ἔκ τινος ἀδίκου βίου*. De pronominis *τίς* abusu dictum est ad pg. 324 C. Ad illustrandam huius loci pravitatem affero, quae Karsten.pg.47 scite disputat: „Eleganter saepe additur (pronomen *τίς*) cum vi intendendi talibus nimirum vocabulis, quorum species vel gradus aliqui esse possunt, ut *ἀμήχανός τις*, *φαῦλός τις*, *ἄτοπός τις*; possunt enim esse plures *ἀτοπίας* et *φαυλότητος* formae et gradus; sed cum loquor de iusto, iniusto, honesto, inhonesto, haec eiusmodi additamentum non facile admittunt. Verum illud *τίς* est una e voculis istis, quibus noster, dum Atticus vult videri, mirifice abutitur.“

*καὶ ὁρῶν δή που τοὺς ἄνδρας ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ χρυσὸν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν, τά τε ἄλλα καὶ φίλον ἄνδρα ἐμοὶ πρεσβύτερον Σωκράτη, ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε, ἐπί τινα τῶν πολιτῶν μεθ' ἑτέρων ἔπεμπον βίᾳ ἄξοντα ὡς ἀποθανούμενον, ἵνα δὴ μετέχοι τῶν πραγμάτων αὐτοῖς, εἴτε βούλοιτο εἴτε μή.* In his permulta notanda sunt. Primum totius circuitus con-

structio est quaesita; est enim hoc anacoluthon: ὁρῶν τοὺς ἄνδρας... ἀποδείξαντας..., ἔπεμπον (sc. ἄνδρες). Talibus anacoluthis epistula referta est.

χρυσὸν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν. Haec Karstenius pg. 49 satis explicavit: „Dictum est ad significandum praesentem reipublicae administrationem tam perversam fuisse, ut prior rerum status aureum saeculum (merum aurum) videretur. cf. Hemsterhusius ad Luciani Necyom. c. 4 (vol. I, pg. 460)."

σχεδόν hic prorsus ineptum est. cf. ad pg. 324 A. E.

οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν κτλ. Verbum αἰσχύνεσθαι hoc loco plane inepte positum est. Karsten. pg. 50 recte censet, pro hoc requiri οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι.

Praeterea cumulatio accusativorum valde molesta est et obscuritate laborat: Σωκράτη... ἐπί τινα τῶν πολιτῶν μεθ' ἑτέρων ἔπεμπον βίᾳ ἄξοντα ὡς ἀποθανούμενον. Ad Σωκράτη spectat ἄξοντα, a quo pendet ἐπί τινα... ὡς ἀποθανούμενον. ἐπί τινα indicat Leontem Salaminium, de quo cf. pg. 325 C.

μεθ' ἑτέρων. Errat Karstenius, si μεθ' ἑτέρων supervacaneum esse dicit (pg. 50). Socrates enim cum quattuor aliis Leontem adducere iussus erat, cf. Plat. Apol. pg. 32 C: μεταπεμψάμενοί με πέμπτον αὐτὸν εἰς τὴν θόλον προςέταξαν ἀγαγεῖν ἐκ Σαλαμῖνος Λέοντα κτλ.

οὐ σμικρά. Animadvertas, epistolographum nostrum magnopere delectari ea dictionis forma, quam grammatici λιτότητα vocant. Longum est omnia huius rei exempla proferre, quae percrebra sunt, velut paulo infra: χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ. 325.

ἐμαυτὸν ἐπανήγαγον ἀπὸ τῶν κακῶν. Hoc loco ἐπανάγειν „avocare" significat, quod non usitatum est, ut iure adnotavit Karsten. pg. 51. Nam verbum ἐπανάγειν cum significet aut „proferre" aut „referre", coniungitur cum praepositionibus ἐπί, πρός, εἰς, vel certe talia supplenda sunt, velut apud Xen. Hell. VI, 2, 28: τὸ κέρας ἀπὸ τῆς γῆς ἐπανάγειν sc. εἰς τὴν θάλασσαν, classem a litore in altum producere. Nostro loco tale εἴς τι suppleri non potest. Similiter lapsus esse videtur epistulae siriptor in verbo ἀνασοβεῖν, pg. 348 A.

ἡ περὶ τὸ πράττειν τὰ κοινὰ καὶ πολιτικὰ ἐπιθυμία. Epistolographus saepissime periphrasin per praepositionem περί praefert simplici dictioni, velut hic pro ἡ τοῦ πράττειν... ἐπιθυμία. Quam rem exemplis probavit Karsten. pg. 53. τὰ κοινὰ καὶ τὰ πολιτικά, inanis pleonasmus, cf. pg. 324 B: τὰ κοινὰ τῆς πόλεως.

ἦν οὖν... πολλὰ γιγνόμενα circumlocutio est pro ἐγένετο οὖν πολλά. Tales circumlocutiones apud nostrum saepius inveniuntur, praesertim per verbum γίγνεσθαι factae, velut pg. 347 E: βεβοηθημένον ἐγεγόνει. Exempla collegit Karsten. pg. 55.

οὐδέν τι θαυμαστὸν ἦν τιμωρίας ἐχθρῶν γίγνεσθαί τινών τισι. De supervacaneo pronomine τίς dictum est ad pg. 324 C.

Σωκράτη... δυναστεύοντές τινες εἰςάγουσιν εἰς δικαστήριον. Karstenius pg. 121 recte iudicat, his verbis epistolographum rursus lapsum esse. δυναστεύοντες enim dicuntur ii, qui summam in republica potestatem obtinent, velut pg. 326 B: κακῶν οὖν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν... φιλοσοφήσῃ. Nostro loco vocabulo δυναστεύοντες non principes reipublicae, sed accusatores illi Socratis, Meletus, Anytus, Lyco indicati sunt, de quibus cf. Stallbaum. ad Plat. Apol. pg. 23 E. Ueberweg, Grundriss der Gesch. der Philos., tom. I, pg. 90 sq. Insolita igitur vi dictum est vocabulum δυναστεύειν.

οἱ μὲν εἰςήγαγον, οἱ δὲ κατεψηφίσαντο. His verbis nihil aliud dicitur quam: Accusatores eum accusarunt, iudices damnarunt. Karstenius pg. 121—122 sine ulla necessitate haec οἱ δὲ κατεψηφίσαντο ad illa δυναστεύοντές τινες refert.

καὶ ἀπέκτειναν τὸν τότε τῆς ἀνοσίου ἀγωγῆς οὐκ ἐθελήσαντα μετασχεῖν περὶ ἕνα τῶν τότε φευγόντων φίλων, ὅτε φεύγοντες ἐδυστύχουν αὐτοί. Iure Karstenius pg. 51 sq. adnotat molestam elegantiam in his: τὸν τότε—τῶν τότε, φευγόντων φίλων—φεύγοντες αὐτοί. Haec sane rhetoris sunt, non senis philosophi, qui in re gravi cum amicis consilia agitat. Conspicuum talis quaesitae elegantiae exemplum affert Karstenius e pg. 351 D: διευλαβούμενος δὲ μὴ παθεῖν, ὅμως ἔπταισεν... θαυμαστὸν παθὼν οὐδέν. ὅσιος γὰρ ἀνὴρ ἀνοσίων πέρι, σώφρων τε καὶ ἔμφρων, τὸ μὲν ὅλον οὐκ ἄν ποτε διαψευσθείη τῆς ψυχῆς τῶν τοιούτων πέρι, κυβερνήτου δὲ

ἀγαθοῦ πάθος ἂν ἴσως οὐ θαυμαστὸν εἰ πάθοι κτλ. Alia eiusmodi exempla infra videbimus.

ἀγωγῆς... περὶ ἕνα τῶν τότε φευγόντων φίλων. Plato in Apol. pg. 32, C. Socratem facit dicentem: ἐπειδὴ δὲ ὀλιγαρχία ἐγένετο, οἱ τριάκοντα αὖ μεταπεμψάμενοί με πέμπτον αὐτὸν εἰς τὴν θόλον προςέταξαν ἀγαγεῖν ἐκ Σαλαμῖνος Λέοντα τὸν Σαλαμίνιον, ἵν' ἀποθάνοι. Socrates igitur a triginta viris Leontem Salaminium adducere iussus erat, cf. pg. 324 E. Nostro igitur loco ἀγωγῆς περὶ ἕνα τῶν φευγόντων dictum est pro ἀγωγῆς ἑνὸς τῶν φευγόντων. De praepositionis περί abusu diximus ad pg. 325 B.

πρόσθε. Haec forma tantummodo apud poëtas et in posterioris aetatis prosa oratione legitur, Attici πρόσθεν dicunt. cf. Lobeck Phrynich. pg. 284.

εἰς τὸ πρόσθεν προϊέναι, προελθεῖν a Platone saepe de via aut de quaestione dici docuit Sauppius ad Platon. Protag. pg. 339D.

τοσούτῳ χαλεπώτερον ἐφαίνετο ὀρθῶς εἶναί μοι τὰ D. πολιτικὰ διοικεῖν. Animadvertas quaesitam vocabuli ὀρθῶς collocationem, quod ad διοικεῖν pertinet.

Sequitur longa periodus inde a pg. 325 D usque ad pg. 326 A, quae, cum rhetorico studio composita sit, quaesita neglegentia laborat. Primum enim enunciati verbum cum sit infinitivus οἷόν τ' εἶναι, periodo per coniunctionem ὥστε praecedente, infinitivi nimis cumulantur: — ἰλιγγιᾶν, — ἀποστῆναι, — περιμένειν — νοῆσαι.

Praeterea in prima periodi parte per relativum pronomen οὓς adnectuntur duae enunciationes, altera: οὓς οὔθ' ὑπάρχοντας ἦν εὑρεῖν εὐπετές, altera καινούς τε ἄλλους ἀδύνατον ἦν κτᾶσθαι μετά τινος ῥᾳστώνης. His duobus enunciatis relativis adiunguntur quasi in parenthesi duo alia enunciata, alterum: οὐ γὰρ ἔτι ἐν τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασιν ἡ πόλις ἡμῶν διῳκεῖτο, alterum: τά τε τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη διεφθείρετο καὶ ἐπεδίδου θαυμαστὸν ὅσον.

Etiam in singulis nonnulla notanda sunt:

οὔτε γάρ. His verbis incipit periodus, neque alterum οὔτε, quod exspectes, sequitur, neque alia particula negativa praecedenti οὔτε respondet; nam verba οὓς οὔθ' κτλ. usque ad θαυμαστὸν ὅσον ab enunciato verbis οὔτε γάρ inchoato pendent. Scriptor igitur epistulae οὔτε γάρ usurpavit pro

„neque enim,“ qui usus non est classicorum, qui vocantur, scriptorum, sed aetate posteriorum.

οὓς οὔθ' ὑπάρχοντας ἦν εὑρεῖν εὐπετές. Hic rursus οὔτε positum est, nullo altero οὔτε respondente; sed hoc loco, cum sequens τέ (in verbis καινούς τε κτλ.) praecedenti οὔτε respondeat, ferri potest. At vitiosa est verborum collocatio, cum absurdam praebeant sententiam: „quos non existentes reperire facile erat,“ pro: „quos vel existentes reperire non facile erat.“ In Graecis igitur verbis οὔτε ponendum erat ante vocabulum εὐπετές, cum negatio non ad ὑπάρχοντας, sed ad εὐπετές pertineat.

νόμων γράμματα καὶ ἔθη inanis et inepta periphrasis est pro νόμοι καὶ ἔθη. cf. Karsten. ad pg. 122, adnot. 2.

καὶ ἐπεδίδου θαυμαστὸν ὅσον secundum verborum structuram referenda sunt ad τά τε τῶν νόμων γράμματα καὶ ἔθη, quare inepta efficitur sententia: „leges moresque creverunt,“ pro: „legum morumque pravitas crevit“, καὶ διαφθορὰ ἐπεδίδου θαυμαστὸν ὅσον.

φερόμενα ὁρῶντα πάντῃ πάντως, „intuens cuncta in E.
praeceps deferri“ (Ficinus). πάντῃ πάντως rursus est rhetoricus flosculus, pro quo simplex πάντα multo melius erat dictum. Similes quaesitas argutias saepius inveniemus.

Ad vocabulum τινός cf. pg. 324 C. 326.

τὰ ἀνθρώπινα γένη rhetorice pro οἱ ἄνθρωποι dictum est. Magis etiam rhetoris argutias produnt ea quae sequuntur: τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος, et postea τὸ τῶν δυναστευόντων sc. γένος.

κακῶν οὖν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς κτλ. Ex his verbis evidenter apparet, epistolographum Platonis libros de republica scriptos legisse, e quibus hanc sententiam ad verbum propemodum desumpsit. cf. Plat. de republ. V. pg. 473 C; VI, pg. 499 B.

ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν ἔχων. Hac formula saepe utitur noster, velut in pg. 323 D.

εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν ἦλθον, ὅτε πρῶτον ἀφικόμην. Quam languide dictum, quantae ambages! Dicendum fuit: ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν εἶχον, ὅτε εἰς Ἰταλίαν τε καὶ

Σικελίαν πρῶτον ἀφικόμην, sive: ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν ἔχων εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν πρῶτον ἀφικόμην. Has duas elocutiones in unam illam pravam confudit.

*βίος...*, Ἰταλιωτικῶν τε καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης. Vocabulum Ἰταλιωτικός non exstat apud Platonem. Siculae dapes ob luxuriam ita notae erant, ut Συρακόσιαι τράπεζαι in proverbii usum venirent, cf. Plat. de rep. III, pg. 404. D: Συρακοσίαν δή, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψων ... οὐκ αἰνεῖς κτλ.

Attica forma adiectivi, qua semper Plato utitur, est Συρακόσιος, non Συρακούσιος. In nominum scriptura noster saepius ab Atticorum usu discedit, velut postea in nomine Ἀρχύτου. In aliis quoque rebus ab Atticorum usu aberrat, velut πρόσθε pro πρόσθεν scriptum vidimus in pg. 325 C.

οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἤρεσε. Respondent haec verba vituperationi eorum, qui Platonem Syracusanae luxuriae cupidum in Siciliam profectum esse dicebant, id quod explicavit Karsten. l.l. p. 231.

τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων, poëtice et cum rhetorica C. quadam affectatione dictum, ut pg 326 A: τὰ ἀνθρώπινα γένη.

οὐχ οὕτω θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται interpretatus est Ficinus: „quamvis natura mirabili sit.“ Memineris vero, οὐχ οὕτω... κραθήσεται non ita pendere a ceteris, sed ipsum per se enunciatum esse; accurate igitur interpretandum est: „non (enim) tam mirabili natura praeditus erit.“ Hic verbi κεραννύναι usus est Platonis, cf. Phileb. pg. 50 A, de leg. XI pg. 930 A. Phaedr. pg. 279 A.

σώφρων significat „temperatus“, ut pg. 336 C: τὴν τῆς τροφῆς σώφρονα δίαιταν. Eadem vi Plato saepissime hoc vocabulo utitur.

πόλις τε οὐδεμία ἂν ἠρεμήσαι κατὰ νόμους οὐδ' οὑστινασοῦν ἀνδρῶν οἰομένων ἀναλίσκειν μὲν δεῖν πάντα ἐς ὑπερβολάς, ἀργῶν δὲ εἰς ἅπαντα ἡγουμένων αὖ δεῖν γίγνεσθαι πλὴν εἰς εὐωχίας καὶ πότους καὶ ἀφροδισίων σπουδὰς διαπονουμένας. Hunc locum totum descripsi, quo facilius intellegeretur, quanta laboraret obscuritate et quantopere distaret a Platonis elegantia. ἡγουμένων post praecedens οἰομένων redundat atque διαπονουμένας adeo supervacaneum est, ut sententiam turbet.

εἰς εὐωχίας καὶ πότους καὶ ἀφροδισίων σπουδάς coniuncta D. apud Platonem leguntur in Rep. I, pg. 329 A: ἀναμιμνησκό-

μενοι περί τε τἀφροδίσια καὶ περὶ πότους τε καὶ εὐωχίας κτλ.

πρόσθε formam Atticis scriptoribus non usitatam esse iam ad pg. 325 C. vidimus.

ἔοικε μὴν τότε μηχανωμένῳ τινὶ τῶν κρειττόνων κτλ. E. cf. quae ad pg. 324 B de religionis ostentatione disputavimus. In his poëticus quasi color inest, velut. Soph. in Aiacis v. 1036 ait:

φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεοὺς τὰ πάντ' ἀεί.

δέος δέ, μὴ καὶ πλειόνων ἔτι κτλ. δέος μή, „timendum est ne", apud Platonem non legitur. Saepius vero Plato utitur formula δεινὸν μή, cf. Stallbaum. ad Plat. Rep. V, pg. 465 B.

Verbum κινδυνεύειν ab Atticis scriptoribus, imprimis a 327. Platone, saepe adhibetur urbanitatis causa pro certa opinione, velut a Latinis „haud scio an". Sic in Men. pg. 71 B: κινδυνεύω σοι δοκεῖν μακάριός τις εἶναι, in Conviv. pg. 205 D: κινδυνεύεις ἀληθῆ λέγειν. Nostro vero loco hoc verbum male positum est; nam secundum enunciati constructionem referendum est ad verbum ἀγνοεῖν, sententiam vero plane absurdam praebet. Quis enim dicat: „Videor nescire me aliquid fecisse"? Aut dicendum est: „Videor aliquid fecisse", aut „nescio me aliquid fecisse". Quo spectet illud κινδυνεύω, sententia quidem indicat, quam recte praebet Ficinus: „Videor tyrannidis ruinam paravisse". Epistolographus duo permiscuit: Nam dicendum fuit aut „nescii me tyrannidis ruinam parare" aut „videor tyrannidis ruinam paravisse." Haec duo cum confundantur, inepta haec sententia efficitur: κινδυνεύω .... ἀγνοεῖν ὅτι τυραννίδος... κατάλυσιν ἐσομένην μηχανώμενος ἐλάνθανον ἐμαυτόν.

τινὰ τρόπον hic supervacaneum est. Animadvertas vero, epistolographo has formulas τινὰ τρόπον, κατά τινα τρόπον, ἐκ παντὸς τρόπου, similes in deliciis esse. cf. Karsten. pg. 57.

οὕτως ὀξέως ὑπήκουσε καὶ σφόδρα. καὶ σφόδρα redundat. Etiam molestius est in pg. 328 A: τὴν ἐπιθυμίαν τὴν Διονυσίου φιλοσοφίας καὶ παιδείας ὡς ἔχοι σφόδρα.

ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς... ἠγαπηπώς. Verbo ἀγαπᾶν B. apud Platonem quidem praeter communem illam vim diligendi etiam vis aestimandi nonnullis locis inest, velut Polit. pg. 286 D, Crit. 45 B. Hic vero prave adhibetur; etenim aut dicendum fuit ἀρετὴν μᾶλλον ἡδονῆς ἠγαπηκώς aut ἀρετὴν

περὶ πλείονος ἡδονῆς ποιησάμενος, ut recte adnotat Karsten. pg. 53: „Dicitur περὶ πολλοῦ, περὶ πλείονος ποιεῖσθαι, ἡγεῖσθαι, non περὶ πλείονος τιμᾶν, ἀγαπᾶν."

ὅθεν ἐπαχθέστερον τοῖς περὶ τὰ τυραννικὰ νόμιμα ζῶσιν ἐβίω. Graeco sermoni magis accommodatum fuit ἐπαχθέστερος. Deinde praepositionem περί prave usurpatam esse adnotavit Karsten. pg. 53, dicendum fuisse κατὰ τὰ τυραννικὰ νόμιμα. De praepositionis περί abusu ad pg. 325 B. disputavimus.

μέχρι τοῦ θανάτου τοῦ περὶ Διονύσιον γενομένου. Quam languida circumlocutio pro simplici μέχρι τοῦ Διονυσίου θανάτου! De his circumlocutionibus per verbum γίγνεσθαι factis diximus ad pg. 325 B.

μετὰ δὲ τοῦτο— ξυμβῆναι γενόμενον. De huius loci ineptiis scite disputavit Karsten. pg. 54 sq. Iure reprehendit absurdam verbi γίγνεσθαι cumulationem, quod redundans iam saepius vidimus. Inconcinna quoque est haec enunciati structura: μὴ μόνον ἐν αὑτῷ —, ἐγγιγνομένην δ' αὐτὴν ἐν ἄλλοις ὁρῶν κατενόει, ubi adversativam particulam graviorem post praecedentia μὴ μόνον, velut ἀλλὰ καί exspectes. Ceterum inanis est pleonasmus ὁρῶν κατενόει.

τάχ' ἂν ξυλλαμβανόντων θεῶν. De religionis ostentatione ad pg. 324 B diximus.

Arrogantem in verbis ἀμήχανον μακαριότητι hyperbolam recte reprehendit Karsten. pg. 55. Personatus Plato ut hic ita multis epistulae locis summa immodestia atque arrogantia salutiferam vim doctrinae suae, de qua nihil ex epistula nisi inepta ac ridicula comperimus, praedicat.

ξυμβῆναι γενόμενον. Haec circumlocutio, quam Karsten. pg. 55 adnotat, non in inanibus illis epistulae scriptoris pleonasmis numeranda, sed potius quaesita existimanda est imitatio Platonis, cui talia satis usitata sunt, velut in Tim. pg. 86 B: τὰ μὲν νοσήματα ταύτῃ ξυμβαίνει γενόμενα, saepissime in libris de legibus scriptis. cf. Ast. lex. Plat. s. v. ξυμβαίνειν.

ἐδεῖτο ἥκειν ὅτι τάχιστα ἐκ παντὸς τρόπου, verborum D. exaggeratio, cuiusmodi fuit in pg. 327 C: ᾠήθη δεῖν ἐκ παντὸς τρόπου εἰς Συρακούσας ὅτι τάχιστα ἐλθεῖν ἐμὲ κοινωνὸν τούτων.

καὶ αὐτὸς ἐδεῖτο— ξυμβῆναι γενομένους. Hunc locum

rectissime Karsten. pg. 56 sq. tractavit. Iam primum λέγων δὲ τάδε ἐδεῖτο post praecedentia αὐτὸς ἐδεῖτο πέμπων ἥκειν κτλ. supervacaneum et molestum est. Tum iure Karstenius unumquemque, quicunque epistulam legat, post λέγων δὲ τάδε ἐδεῖτο, εἰ καὶ μακρότερα εἰπεῖν· „τίνας γὰρ καιρούς, ἔφη, μείζους περιμενοῦμεν κτλ.“ exspectare dicit, se Dionis epistulam totam ipsis verbis relatam auditurum esse. Nihilominus epistolographus statim in indirectam, quam vocant, orationem delapsus argumentum epistulae tantummodo attingit. Recte cum hoc loco comparat Karstenius similem locum in p. 339 B. Haec ne rhetoris quidem sunt, sed puerilia produnt studia.

θείᾳ τινὶ τύχῃ cf. ad pg. 324 B. E.

ὡς ἔχοι σφόδρα. De vocabulo σφόδρα male apposito 328.
diximus ad pg. 327 A.

εὐπαράκλητοι. Hoc vocabulum apud Platonem non legi adnotat Karsten. pg. 58 cf. Ast. lex. Plat.

πρὸς τὸν ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον. Hic Karstenio non assentiar, qui pg. 58 haec λόγον καὶ βίον in ineptiis illis tautologiis numerat, quas in epistula saepius videmus. Mihi quidem et ex his verbis et ex aliis locis apparere videtur, propriam quandam sententiam fuisse epistolographo de Platonis philosophia. Etenim ex nonnullis locis epistulae satis clare elucere videtur, philosophi, quem noster intellegat, imprimis Platonis, esse modum quendam severum et simplicem cotidianae vitae. Cuius sententiae aliis infra exemplis comprobandae manifestum videmus argumentum in pg. 340 D — E, ubi de laboribus et opera disserit, quae subeunda sint iis, qui in philosophiam toto animo incumbunt. Non demonstrat, quam operosa sit continua veri investigatio, quam rari certi scientiae fructus, quam crebri contra dubitationum cruciatus et scrupuli et errores. Non hos epistulae scriptor labores affert, qui cum philosophiae studio coniuncti sint, sed imprimis commemorat severum quendam cotidianae vitae modum, velut pg. 340 D. de vero philosopho dicit: ζῇ,... παρὰ πάντα ἀεὶ φιλοσοφίας ἐχόμενος καὶ τροφῆς τῆς καθ' ἡμέραν ἥτις ἂν αὐτὸν μάλιστα εὐμαθῆ τε καὶ μνήμονα καὶ λογίζεσθαι δυνατὸν ἐν αὑτῷ νήφοντα ἀπεργάζεται. Porro in laboribus cum philosophia coniunctis enumerat ὅσα μαθήματά ἐστι καὶ πόνος ἡλικίας καὶ δίαιτα ἡ καθ' ἡμέραν ὡς

*πρέπουσα ἡ κοσμία τῷ πράγματι.* Atque philosophiam intellegit tantummodo doctrinam quandam, quae ad recte vivendi rationem et ad rempublicam bene constituendam pertineat, quam nos practicam philosophiam vel ethicam et politicam nominamus. Iam videmus, quantopere distet haec de philosophia sententia ab grandi illa Platonis, qui philosophiam intellegit amorem et continuam indagationem veri; quare maximum studium et operam in ea re consumendum esse censet, ut disserendo et disceptando certae notiones constituantur. Ethica philosophia, quam nos dicimus, modo pars est et quodammodo fructus philosophiae universae, quae in veri cognitione posita est. Plato enim auctore Socrate cum quaerat, quid sit bonum, quid pulchrum, quid iustum, ex his quidem quaestionibus praecepta quoque de bene beateque vivendi ratione colligit; neque vero hoc principium vel exitum philosophiae intellegit, immo illam veri cognitionem, qua omnes singulae illae doctrinae nituntur. Itaque Plato philosophum eum dicit, qui amore scientiae incensus toto animo in hanc veri investigationem incumbat, non hominem certis legibus ad aliquam vivendi rationem adstrictum. Epistolographo ante oculos obversatus esse videtur ille *Πυθαγόρειος τρόπος τοῦ βίου*, cuius mentionem fecit Plato in Rep. X, pg. 600 B. Cf. Ueberweg, Grundr. der Gesch. der Philos., tom. I, pg. 50. Hoc quoque, opinor, argumento confirmatur, epistulam non a Platone esse scriptam.

*ἐλπὶς δὲ πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ κτλ.* De hac structura cf. Karsten. pg. 58; scribendum fuit *ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ κτλ.* *τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους.* De hac sententia e Platonis de republica libris desumpta diximus ad pg. 326 B.

Epistolographus, cum Platonis libros de republica, de legibus scriptos legisse, at lectos male intellexisse videatur, saepius hariolatur de philosophorum, quos dicit, in civitatibus dominatione, et hasce suas alucinationes Dioni supponens, eius consilia, quae ad Syracusanam civitatem bene constituendam agitabat, cum his ineptiis confundit. Platonem a Dione in reipublicae angustiis auxilio vocatum, Dionemque ipsum non id potissimum egisse dicit, ut Syracusis tyrannorum libidines coërcerent atque reipublicae salutem ferrent, sed ut philosophorum utique dominationem et in hac urbe et ubicunque fieri posset, constituerent.

*ξυμβῆναι γενομένους* cf. ad pg. 327 C.

*τὴν δ'ἐμὴν δόξαν τὸ μὲν περὶ τῶν νέων.... εἶχε φόβος.* Molesta sunt verba *τὸ μέν.* ubicunque noster potuit, insolitam dictionem usitatae praetulit. At maiorem huius enunciati neglegentiam reprehendit Karsten. pg. 59: „Quam parum accurate noster cogitata enuntiare solitus sit exemplo sunt denuo verba haec: *τὴν δ'ἐμὴν δόξαν — εἶχε φόβος*, pro *ἐμὲ σκοπούμενον — εἶχε φόβος*: non enim opinionem alicuius invadit metus, sed ipsos cogitantes metus subit."

*τὸ δὲ Δίωνος ἠπιστάμην τῆς ψυχῆς πέρι φύσει τε ἐμβριθὲς ὂν κτλ.* Haec verborum constructio quaesita aliud est fucatae dictionis exemplum. Etenim cum Karstenio (pg. 59) legi *τὸ Δίωνος ἦθος* librorum manuscriptorum vetat auctoritas, nec facile quidquam apud talem scriptorem contra codicum auctoritatem emendandum erit. Verba *τῆς ψυχῆς πέρι* inepte et prave assuta esse recte adnotat Karsten. pg. 59.

*ὅμως ἔῤῥεψε δεῖν, εἴ ποτέ τις τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας ἀποτελεῖν ἐγχειρήσοι, καὶ νῦν πειρατέον εἶναι.* Verbum *ἔῤῥεψε* impersonale insolitum esse adnotat Karsten. pg. 59. *τὰ διανοηθέντα* prorsus insolenter hic passive ursurpatur, cuius insoliti usus praeter hunc locum exemplum invenimus tantummodo in Plat. leg. II, pg. 654 C: *τὸ διανοηθὲν εἶναι καλόν.*

*τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας.* Haud dubie haec significant Platonis libros de legibus et de republica scriptos, quos ab epistolographo lectos esse ex aliis iam argumentis cognovimus.

Hoc loco clarissime apparet, quid epistolographus de Platonis philosophia ac de Platone ipso senserit: Platonis philosophiam nihil aliud esse quam doctrinam de civitatibus constituendis (cf. ad pg. 328 A); Platonem ipsum auctoritatem et dominationem in civitate aliqua, quaecunque sit, appetere, ut de republica, de legibus ab ipso cogitata revera perficiat: omnino philosophos esse sectam quandam, quae dominationem in civitatibus et petat et adipisci debeat. Quantum afuerit noster, ut philosophiae, quam quidem Plato auctore Socrate intellexit, amplitudinem et sublimitatem comprehenderet, non opus est explicare.

Sed haec quidem hactenus. Quamquam enim tota epistula usque ad finem diligenter excussa, etiam augeri potest numerus earum rerum, ex quibus epistulam non a Platone conscriptam esse efficitur, tamen iam quaestionis finem facere, reliquamque de dictione et de sententiis disputationem in tempus aliquod posterum differre mihi liceat. Nam cum ex argumento epistulae fusius supra exposito, tum ex iis, quae dé eius dictione et sententiis disputavimus, iam apparere videtur, epistulam septimam a Platone esse abiudicandam —